

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

135.
152
3400

C A R M E N
I N
NATALEM ΤΟΥ ΘΕΑΝΘΡΩ ΠΟΥ
IMMANVELIS DOMINI AC
SERVATORIS NOSTRI JESU
CHRISTI DEI ET HO-
MINIS VERI,

CONSCRIPTUM

A
M E

VALENTINO REICHARDO,
NEUNBURGO AD GABRETAM
PALATINO.



SERVESTÆ
Typis Zachariæ Dörfferi,
ANNO M. DC. XVI.



Illustribus & Generosis Heroi-
bus ac Dominis,

DN. ACHATIO Burggravio & Baroni à Donah,
Serenissimo Potentissimoq; Electori Palatino à
consiliis secretis, & Exarcho in VValdsassen, &c.

DN. CHRISTOPHORO Burggravio & Baroni à Do-
nah, Senatu Ecclesiastici in Palatinatu superio-
ri Præsidi, &c.

NEC NON
Doctis. & integritate Clarissimis
viris,

DN. MATHIÆ PLATONI, Senatori Ecclesiastico
& generali Inspectori in Palatinatu superiori,
nec minus ibidem verbi divini Ministro, &c.

DN. VVIGANDO SPANHEMIO, S S. Theologiæ
Doctore, Senatori Ecclesiastico itidem in Pala-
tinatu superiori, &c.

DN. ANDRÆ VIGILIO, SS. Theologiæ Magi-
stro, in Ecclesia Enneapyrgensi ad Gabretam Pa-
stori, ibidemq; Inspectori, &c.

*Dominis Mæcenatibus ac Patronis suis Gratiōsissi-
mis & humili obsequio observandis.*

Debitæ gratitudinis
humilis observantiæ, ergo.

E. A. A. C. P.

Offert & consecrat

Autor,



O Musæ, Cultor, Soboles & Fautor amande,
Qui tua rorasti labra liquore sacro,
Cum mihi non faustis spiret fortuna caballis
Munera nec mihi sint, quæ Tagus amnis habet:
En tibi, pro strenâ, tenues hos offero versus
Hos cape jam facilis, perlege mente piâ.



Nescio cur hodiè grato de pectore carmen
Eructent, mentes lætum Pæana canentes,
Nescio cur hodiè juvenes bellæq; puellæ
Dulcisono cantu testentur gaudia mentis.
Nescio cur hodiè cumulent altaria multis
Mortales donis, cur cuncta creata triumphent
Nescio cur hodiè laudes super astra ferantur
Et Dominum cœli linguæq; lyræq; celebrent.
Nescio cur hodiè placidis pax regnet habenis
Per totum mundum, cur arma inimica faceffant,
Tanta quies nobis non visa prioribus annis,
Nec tranquilla adeo vasti sint orbita mundi,
(Nam pugnare manu juvenesq; senesq; recusant,
Sectantur pariter sanctæ vestigia pacis)
En Romana domus caput inter nubila condit
Et regit imperio populos frenatq; superbos.
En Cæsar vastum, fundit sua jura per orbem
Atq; suos late cives populosq; recenset.
Fallor? an illa dies (quæ nostræ est prora salutis)
Emicuit, quondam quam prædixere prophetæ?
Quâ λόγος æternus, primo promissus ab ævo,

A

2

Als-

Assumens fragiles humani corporis artus,
Parvulus & justus castâ de virgine natus,
Nos perturbatos, & opis miseratus egenos
Omnibus exsolvit curis & ab hoste recepit:
Sic est: namq; suum Genitor testatus amorem
Cœlestem juvenem, magna comitante catervâ
Misit, ut aëreas auras perniciousis alis
Dissectans, nobis latissima munera pacis
Afferat, & totum spargens sacra iussa per orbem
Verbi incarnati nobis miracula revelet;
Qui volucris curru vectus, qui flammeus ales
Lora tenens levibus ventorum adremigat alis
Et subitò Domini mandantis iussa facepsit.
Floribus, insignis locus est decoratus, odoris
Herbis conspicuus multis, atq; undiq; pulchris
Fertilis arboribus, variæ circumq; suprâq;
Nidificant volucres, quæ suaves gutture voces
Fundunt, ac auras jucundo carmine complent,
Undiq; qui rivis naturâ septus amœnis.
Hic hic forte greges Corydon & Thyrsis in unum
Ut caperent viridis suavissima pabula fœni
Compulerant, vigiles sub lustris noctis in umbra
Et resonare docent formosam carmina sylvam.
Huc deflectit iter lætâ stipante catervâ
Numinis instinctu, subitis hic labitur alis,
Talibus & timidos, verbis affarier inquit:
Macti animos, nervos horror, tremor, error & angor
Affero jam vobis novâ munera digna relatu.
Ecce etenim virgo conservans claustra pudoris,
Enixa est puerum (dictu mirabile) IESVM
Regia qua surgunt generosæ mœnia Bethles,
Quem pater æternus primavâ ab origine mundi

Pro



Promisit, vetitos dum carperet, ore salaci
Eva Parens, fructus, cum conjugē, iamq; gehennæ
Addicti tota cum posteritate fuissent,
Quem quoq; venturum vates cecinere beati:
Hic est vestra salus, hic vestra potentia, turris,
Præsidium, spes, & rebus solamen in arctis.
Hic vobis clypeus, hic certa est anchora vitæ,
Hic vobis revehit promissæ dona salutis,
Hic vobis affert lætissima munera pacis:
Hic donat nitidi suavissima gaudia cœli.
Quis proceres sancti semper sine fine fruuntur.
Heus igitur vestris ovibus post terga relictis,
Mox celeres properate viri, Bethlemq; petentes,
Vestra, recens natum, mox quærite, gaudia, Regem
Qui Deus æternus, Soboles & imago parentis
Et qui verus homo est hoc læto tempore natus.
Nec vos ut timidos, tangat temerarius error,
Nec mentes vestras perturbet opinio falsa,
Auscultate mihi, lætasq; advertite mentes:
Indicia hæc vobis, hæc omnia certa tenete:
Invenietis eum duro in præsepe jacentem
In stabulis arido decoratum tempora fœno
Et bove tardigrado conseptum asinoq; rudente.
Hæc ubi fatus erat divinæ nuncius aulæ,
Panditur alma domus subito rutilantis Olympi
Aligerum, & cingunt illam clamore secundo
Agmina, læta canunt, non seculo audita priore
Dumq; effusa Polo, natali munera CHRISTI
Ingeminant plausu cœlum mox omne remugit:
Laus Honor & Virtus Domino qui regnat in altis
Aurea & in terras placidis pax advolet alis.
Hoc viso, statim gelido terrore remoto

A 3

Pasto.



Pastores ovibus missis ad mœnia Bethles
Tendunt, & celeres intrant magalia parva
Et puerum inveniunt ibi cum Genetrice MARIA
Natum, & præsentem Regem Dominumq; fatentur,
Et genibus flexis, hominemq; Deumq; salutant.
Parvule, quod superest, Jesu Rex Magne Redemptor
Quiq; homo quiq; Deus persona verus in unâ
Grassantis Sathanæ, confringis jura necisq;
Et revehis nobis promissæ dona salutis,
Mitte tuum nobis, petimus, Spirabile Numen
Ut tibi cantemus pro tanto munere grates.
Fac etiam vigeant & discuntumq; docentum
Cœtus, fac crescant divini semina verbi,
Fac quoq; sit nobis mens sana in corpore sano,
Ut te quottannis, donec calor hæc reget ossa,
Pro meritis tantis celebremus carmine digno.

Scribere plura vector, privatur tempore Musa
Nostra, vale, salva tempora longa vale.



Ornatissimo & Doctissimo
DN. VALENTINO REICHAR-
DO NEVNBURGENSE PALATINO
Christum Salvatorem ac-
clamanti.

S.

Est aliquid magni lustrare Poëtica scripta,
Versare & crebrâ nocte dieq; manu.
Est aliquid magni sensum percurrere ad unguẽ
Illorum, & semper mente tenere suâ.

Est

Est aliquid magni perdoctē imitari et illa,
Quando opus est, cum illis & bene posse loqui;
Vtq; solent varios in pratis quærere flores
Mellilegæ volucres, carpere & inde bonum;
Sic licet ex variis illum desumere scriptis
Succum, qui nobis commoda mille creet;
Ergo poenitear calamo trivisse laborem
Te non, ingeniumq; excoluisse tuum.
Namq; tuum nomen spargetur ubiq; locorum,
Assurgetq; tibi gloria, laus & honor.

*Amicō ac Sympatriotæ suo dilectissimo
Valentino Reichardo Scribebat
Johannes Graf
Ambergâ Palatinus.*

A L I U D.

Iam, REICHARDE, pio Natalia gaudia prodis
Carminē, quo celebras tot benefacta DEI.
Iam cantas genitū divinā ab Imagine Christum;
Qui DEVS, & nostræ conditionis Homo est.
Egregios studiis (laudandum est) quæris honores,
Et specimen reddis fertilis ingenii.
Nil Momi curas mittentis spicula acerbâ,
Æquo sed morsus fers animoq; bono.
Perge, velut pergis, surget tibi gloria magna
Et patriæ fies dante, Columna, DEO.

*Sympatriotæ & amico suo
suavissimo ad ponebat
Georgius Planck
Ambergâ Palatinus.*

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I M I S



№ 1996

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!


28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



E N

ΘΕΑΝΘΡΩ ΠΟΥ
DOMINI AC
STRI JESU
ET HO-
RI,

PTUM

REICHARDO,
GABRETAM
N O.

TÆ
e Dörfferi,
C. XVI.

175.
152
3400

